



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

caput nonum. Haeretici à Maria Angliae Regno ejiciuntur. Philippus Hispaniarum Princeps in Angliam appellit, nuptiasque cum Maria celebrat. Ecclesiae reformandae curam suscipit. Angli ab ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

Circa nonam pronuntiata à Iudicibus sententia, Cranmerus è carcere ad ædem S. Virginis deducitur; latera eius claudentibus duobus religiosis. Ad fores quum peruenisset, intus hymnus Simeonis, *Nunc dimittis*, &c. decantabatur. Adempto sacerdotali caractere, obsoleta ad ludibrium, sed eiusmodi Angliæ Primatè qualis illerac, vel potius tanto hæreseos patrono digna veste indutus, pegma ascendit. Ibi quum eo ornatu assedisset, & Colus causas cur à regina damnatus esset, exposuisset, Cranmerus turbato vultu, animi desperabundi indice, plorabat & lamentabatur. Ad quem Colus accedens, monuit, ut errores suos coram vniuerso cœra reuocaret. Ibi Cranmerus de promptas ex sinu preces, quæ Catholicam aliquo modo sapiebant religionem, coram populo recitauit; deinde ad populum orationem habuit, in cuius fine plurima dixit, omnino digna quæ æterna obliuione sepeliantur; protestatus ad extremum, *palinodiam illam suam contra conscientiam, solo vitæ amore factam: atque in eo detestabile à se crimen commissum.* Doctores Catholici videntes miserum ex eo quod vitæ spes adempta ipsi fuerat ad desperationem redactum, in viam eum modis omnibus reducere conabantur: at illè à diabolo iam possessus, omnibus contemptis monitis, horrendas ex impuro suo ore blasphemias contra Deum & Ecclesiam euomere non cessabat. Tandem ad supplicij locum raptus, & postquam vestes ipse exuisset, ligatis manibus, protensa dextra, *Hæc*, inquit, *nefarie peccauit, quæ recantationi meæ & proposita ab aduersarijs doctrina subscripsit.* Prima ergo omnium poenas luet. Sic ergo rogo impositus, eandem dextram in flammam quam potuit longissime protendit; breui ignis violentia toto corpore in cineres redacto. Qui proxime astiterunt, aiunt, inter flammæ cruciatu, horribiles illum vlularu edidisse, ac contra Deum ac Sanctos mille blasphemias euomuisse. Hunc vitæ exitum Cranmerus habuit:

qui vt flagitiose vixerat, ita non minus impie, velut homo desperatus, extremum vitæ diem clausit.

HÆRETICI A MARIA ANGLIÆ regno eijciuntur. Philippus Hispaniarum Princeps in Angliam appellit, nuptiasque cum Maria celebrat. Ecclesiæ reformandæ curam suscipit. Angli ab excommunicatione absoluuntur: totumque regnum Pontifici obedientiam præstat.

## CAPUT IX.

## ARGUMENTUM.

- I. De Prophetissa quadam Zuingliana. Hæretici ex Anglia proscripti.
- II. Sacerdotes debito modo non consecrati, sub Henrico VIII. Missæ sacrificium celebrant. Cardinalis Polus in Angliam ad restaurandam Catholicam religionem mittitur.
- III. Eodem Philippus Hispaniarum Princeps appellit, nuptiasque cum Maria regina celebrat.
- IV. Ab ipsâ Ordinum regni consentus habetur, in quo de Ecclesiæ restauratione actum fuit: & quomodo Legatus Pontificius populum ab Excommunicatione absoluerit.
- V. Quanta prudentia in negotio restauranda Anglicana Ecclesiæ Cardinalis Polus usus sit.
- VI. In Anglia passim obedientia S. Sedis publicè præstatur, tum Coniuratio quadam detegitur.

**Q**uemadmodum Pepusiani olim, Montanus, Marcion, alijque hæretici vaticinatrices suas singuli habuerunt; (a) sic & Zuingliana hæresis in Anglia similis mulierculæ opera ad astruendam sibi fidem vri voluit. Induxerant enim Noui Euangelij Ministri puellam quandam octodecim annos naram, hæresi simul & precio corruptam, in eam improbam simulationem, vt se permitteret in abdito inter duos muros cuiusdam domus angulo ad tempus includi, & per fistulam ad id aptatam eas voces ederet quas istius strophæ artificis suggererent. Nomen puellæ Elisabetha Crosta erat, Londini in suburbio quodam habitans. Ita ergo illa instructa, & in loco ad fraudem accommodato collocata, mirabiles

emit.  
a S. Aug. de har. cap. 17. S. Hier. Epist. ad Cresipb.

emittit continuo ex antro suo voces, easque tam sonoras, vt per totam viciniam audirentur. Accurrunt vndique ciues, quid sit inquirunt, mirantur, voces non mortalis hominis, sed Angeli esse aiunt. Vrbi vero ac toti regno spiritus iste miseriam, ærumnas & mala omnia comminabatur, si nuptias cum Hispano, aut communionem cum Romano Pontifice admitterent. Multa item contra sanctum sacrificium & reliquam fidem Catholicam quasi oracula fundebat. Erant ex concleijs, qui data opera se turbæ adstanti ingerebant, & huius spiritus propheticas & obscuriores sententias, ad religionis euersionem, & seditionem mouendam interpretabantur. Tandem Magistratus ad compescendam multitudinem, & iustrandum quid sit, accedit. Initio quidem fraus difficillime apparuit: sed tandem initio consilio de muro diffodiendo & vicinis parietibus, vnde voces reddi conijciebant, disturbandis, misera puella prodijt: & examinata quorum suasu & consilio hoc fecerit, confessa est statim, se à quibusdam seditiosis secularijs ad istam nequitiam inductam esse. Sanderus ait puella huic vitæ gratiam factam: at scheda quas habeo, capitis eam supplicio affectam restantur.

Stabilito quodammodo regno, regina ad Catholicam quoque religionem in integrum omnino restituendam ardentissimum adiecit. Quare promulgato Edicto omnes hæreticos, peregrinos in primis, regni finibus quam primum excedere iussit. Aiunt ad xxx. hominum millia, qui sub Henrico Eduardo irreperant, tum solum veritatis. De Petro Vermilio Martyre disceptatum fuerat in Senatu, sed itum est in eam sententiam, vt quia publica fide in Angliam venerat, cum suis in oculis dimitteretur. Bucerii & Fagij cadauera exhumata & combusta sunt: Catharinæ item Martyre vxoris cadauer effossum fuit, & in sterquilino conditum. Mirum in modum tum Anglicana florebat Ecclesia. Magna vbiq; erat eruditorum virorum copia, qui tam è suggestu populo Verbum Dei pure annunciabant, quam in scholis è pulpitu doctissime explicabant, frementibus interim hæreticis, & quorundam vitæ, licet irrito conatu, insidiantibus.

II. In his vero primis restituendæ Ecclesiæ inijs non leuiter à Clero passim in eo peccatum est, quod regina, vt dictum est facultatem exercendæ Catholicæ religionis concedente, multæ ex superiori Henrici & Eduardi temporibus

schismate, canonum & regulæ Ecclesiasticæ obliuati, ad sancta altaria & sacrificia conuolabant: ex qua irreligiola negligentia factum est forte, vt Deo vindice Anglia tam cito cum pientissima Principe etiam hoc summum religionis bonum amiserit.

XVIII. Martij Elisabetha Mariæ soror, à Viato inter conscios nominata, in Turrim Londinensem inclusa est. xxv. Aprilis Ioannes Graius Suffolciji frater, capitis pœnam luit. Ceterum vt tanto melius Ecclesiæ rebus prospiceretur, Regina Papam Iulium III. vt Polus Cardinalis ad se mitteretur rogauit: quia vero Pontifex tantum virum, nondum exploratis regni rebus, periculo obijcere nollet, Franciscum Commendonum Cubicularium suum, postea Cardinalem præmisi: qui de regni statu omnia certiora referret, nec multo post Commendono Romam reuerso Polus Legatus decernitur, cum amplissima potestate Anglos ab excommunicatione absoluedi, & in Pontificis gratiam recipiendis simul etiam de pace inter Casarem & Gallia regem agendi. At Carolus Cæsar, antequam nuptiæ Mariæ cum Philippo filio omnino transactæ essent, vt Polus in Angliam ingrederetur, numquam consentire voluit: quæ tandem V. Maij Parlamenti assensu certis conditionibus conclusæ & approbatæ fuerunt, Maria regina quæ venienti marito obuiam procedere constituerat, veritate Londinenses in Elisabethæ gratiam quidquam molirentur, Londino Richemundam, atque inde Nolltochium abduci eam curauit, vbi diu illa, aula interim nuptialibus & alijs postea festiuitatibus perstreperet, captiua mansit. Inde Maria Vintonium profecta est, vt Philippum maritum ibi exciperet: qua Londino digressa, Consiliarij apud Noallium Christianissimi Regis Oratorem sese excusarunt, quod ipsum ad regales eiusmodi ceremonias non inuisarent, vt qui vererentur, ne ob honoratoris loci prerogatiuam inter ipsum & Romanorum Regis Legatum contentio oriretur. Noallius ad hæc respondit, numquam sibi auditum aut lectum, quod Romanorum reges unquam Christianissimis Regibus, quantum ad loci prerogatiuam, prelati sint: se nihilominus regina & Consiliariorum voluntati hæc in re velle acquiescere.

Turbarum nouarum metus vndique tum ingrebat, frementibus plerisque, quod regina contra promissum extero Principi nupsisset, & eam

quidem, qui omnes suas cogitationes & conatus coconuerteret, ut Angliam Hispaniæ adiungeret. Nonnulli ut Philippi causam plausibiliorē facerent, Genealogiam quandam edicurarunt, in qua Philippi genus à Ioanne Duce Lancastriæ, qui Eduardi III. regis fuit filius reperiatur, & Leopardiarque Isidori Anglorum Austriacæ domus insignibus coniuncta cernebatur. Quæ tamen res suspicionem magis accendit quam minuit. Anno M. D. LIV. XVIII. Cal. Sextilis Philippus cum CXVI. nauium classe, Iulii obriga Calætorum portu soluit, triduo, post Hamtonam appulsus, frustra mari insidiantibus Gallis. Postridie nauis ad id superbe ornata exceptus, cum præcipuis Consiliarijs & proceribus, in Belgium remissa classe, ad portum molem in terram descendit: & equo regio apparatu strato, qui ad id paratus erat, in scenso, in oppidum venit. Die sequenti post missitata utrimque munera, Princeps magna suorum & regulorū Anglorum, qui partim reginæ iussu, partim vltro salutar ipsum venerant, caterua stipatus, Vintonium ad reginam venit, in Episcopi, à quo Latina oratione ante exceptus fuerat, ædibus diuersis: ac salutar modo regina, sequenti die longum cum ea colloquium habuit: tuncque Cæsaris legati ipsius nomine regno Neapolitano cesserunt, & ius omne quod ipsi in eo competebat, in Philippum filium transtulerunt. xxv. Iulij ipso D. Jacobi festo Anno 1554 nuptiæ celebræ sunt, rebusque omnibus rite confectis, proclamationes titulorum vtriusque publice factæ sunt, Latina, Francica & Anglica lingua. Peracto sacro, inter choreas ac conuiuia ac cetera regalis lætitiæ (quæ modica tamen fuerunt) oblectamenta, dies extracta est. Inde deducente regina, Philippus Londinum honorifico ac splendido paratu ingressus est, & in primario templo D. Pauli à Londinensi Episcopo habita Latina oratione de Ecclesiæ & regni conseruandis priuilegijs, Vithaliam inde in regium palatium concessit. Non multo post Galliarum rex per Noallium regi ac reginæ gratulatus, omnem eis amicitiam & beneuolentiam pollicetur. Cardinalis quoque Polus, et si Romæ, apud Papam & apud Cæsarem & Reginam Angliæ diffamatus esset per æmulos, mense Septembri Calæto in Angliam traiecturus soluit, & tam Calæti, quam Angli tenebant, quam Grauisindæ magnifice est exceptus, oblatam ei diplomæ restitutionis suæ, contra id quod dum ab Hen-

rico VIII. decretum fuerat. In de IX. Cal. Dec. Londinum ad Comitiam istuc inducta & cæpta contendis, prælata cruce Argentæ, insigni Legationis Apostolicæ. (a)

IV. Philippus ut initio statim conceptæ de se spei aliquo modo satisfaceret, ad XXI. Nouembriis eodem Anno Status regni convocarat. Ad ea comitia Polus Cardinalis venit; & expositis legationis suæ causis, omnes monet ut Deo gratias agant, qui talem ipsis Regem dederit atque Reginam. Postridie quum orationem & postulata Poli approbasset Ordines, concepta fuit petitionis formula, qua Regi ac Reginæ supplicat, ut apud illum intercedant. Eius hæc erat sententia. *Penitere se vehementer schismatis, quod obedientiam Apostolicæ Sedi denegarint, & quod decretis aduersus illam factis assenserint: in posterum vero se futuros in ipsius atque Regina potestate, & facturos quidquid omnino possint, ut eiusmodi leges omnes atque decreta his comitijs abrogentur. Maiorem igitur in modum orare ut intersuuant, & efficiant ut censuris absoluti, in quas iuxta leges Ecclesiasticas per schisma inciderrant, in Ecclesia gratiam tanquam filij penitentæ recipiantur, & deinceps in Romana Sedi & Pontificum obedientia seruire Deo possint, ad ipsius nominis gloriam; & suam ipsorum salutem.*

Alterâ die quum iterum adesset Rex, Regina & Legatus, consurgit Cancellarius, & quid super Legati postularis decreuerint Ordines, clare pronunciat: deinde supplicem petitionem Ordinum scripto comprehensam & obfirmatam Regi tradit atque Reginæ. Quam illi apertam Cancellario dant ut pronuncietur. Tum ille rogat ab universo cœtu (qui totam regnum representat) num ratam habeant? Illis affirmantibus, Rex atque Regina consurgunt, eamque Legato tradunt. Is quum legisset, diploma legationis suæ vicissim exhibet, mox illud recitatur, ut ipsos absolueret potestatem ei factam à Pontifice, omnes intelligerent. Post orationem habet lingua vernacula, & quam grata sit Deo penitentia, multis exemplis ostendit; & beneficij quo ab orco ad cælum reuocarentur, magnitudinem exaggerat. Mox consurgit. Idem rex ac regina faciunt, & in genua vnâ cum toto cœtu subsidunt. *Illum illo Dei numen atque misericordiam implorans*

a Bxonijs Tomo 20. Annual. Anno 1555. num.

plorans obtestatur, ut populum benigne respiciat, eique culpam ignoscat: sequens Legatum à Pontifice Christi Vicario dicens, ut illos absolvat, de more benedicti tori multitudinis, eamque absolvit. Ad sacellum deinde itum est, ibique Deo sum acta gratia symphonia cantorum, & festæ lætitiæ edita signa sunt: quarum tamen Angliæ non multo post in hæresin relapsæ, diuturna non fuit, ut sequenti capite ostendam. Reconciliatio hæc incidit in profectum Sancti Andree Anno 1554. decretumque fuit à Polo, ut quotannis die festo S. Andree eius beneficii memoria singulari cultu celebraretur. & ut totus Clerus ac populus per universum regnum in sua quisque Parochiali Ecclesia, in genua provoluti, reconciliationis gratiam humiliter postularent. (b)

In urbem mox missi Legati Eliensis Episcopus, Montiacuti Vicecomes, & Eduardus Carneus J. C. qui regni nomine obedientiam Pontifici præstarent. Dici sane vix potest quanto gaudio ipsa Cardinalium Collegio & ipso Pontifice, adeoque universo populo accepti fuerint: statimque supplicationes publica facta Deoque gratia ob tantum beneficium per soluta sunt: indulgentia insuper ad modum Jubilæi per Christianum orbem publicata est. Ad publicam hanc lætitiæ alia quoque causa accessit, quod nempe regina setum iam concepisse crederetur. Quam ob rem per totum regnum supplicationes decreta, & ab Ordinibus regina viginti librarum Sterlingensium millia dono missa sunt. Anno sequenti 1555, Septimo Januarii Noalhus à Galliz rege missus in Angliam redijt, litterasque secum attulit, quibus reginæ adeoque toti regno de reconciliatione cum S. Sede gratulabatur. Idem quoque rex ad Polum Cardinalem scripserat, eius industriam in promovenda hac sibi tantopere grata reconciliatione, miris commendans.

V. In hac tamen restitutione religionis graves quædam intervenerunt difficultates, è quibus si Polus se ipsum aliosque nonnulla Indulgentia non expeditisset, Angli non ita prompte in hanc reconciliationem & Pontificiæ auctoritatis agnitionem consentire nec in officio permanisuri fuerant. Certum est, res omnes non eodem modo tractandas esse. Placidam alia, asperam alia vulnera manum requirunt. Et in his quidem casibus faciendum est quod possumus, non vero tentandum quod volumus, si spes perficiendi absit. Quam ergo Polus Cardinalis, qui liberam pro-

re nata ex suo arbitrio agendi potestatem à Pontifice acceperat, animadverteret, difficile, atque adeo impossibile fore Ecclesiastica bona ipsi qui sub Henrico VIII. & Eduardo VI. regibus ea ad se rapuerant, extorquere (facilius enim reperis qui Deum pro Mundo quam qui Mundum pro Deo deserant) summa prudentia, quam D. Bernardus omnium virtutum abyssum appellavit, in toto hæc negotio versandum sibi existimavit. Et bonorum quidem Ecclesiasticorum usurpatores regibus ac Legato supplicabant, ut pacifice ea vel ante possidere sibi liceret. Quamvis autem petitio eiusmodi eis quicum Deo & Ecclesia reconciliari optabant, nequaquam digna videretur: tamen ordinibus postulantibus eò ventum est, ut publico instrumento Pontifici nomine & auctoritate edito omnes de huiusmodi bonis ac possessionibus in schismate acquisitis, quoad pœnas & censuras Canonicas, in perpetuum securos & absolutos Legatus declaravit. In quo tamen omnes gravissime admoneretur, ut quantopere iniusta hæc occupatio & Dei voluntati & ipsorum conscientia adversaretur, mature secum perpenderent: quia potius regina, omnia ab Henrico patre Ecclesia ablata restitueret, ac monasteria & templa passim restituisse pollicita, exemplum sequerentur. In eodem scripto Legatus eum omnibus infra gradus ab Ecclesia prohibitos conjugatis dispensat, eorumque matrimonium & prolem iuberet esse legitima: Episcopos etiam priori schismate factos confirmat. Hoc velim attendant ipsi, qui in rebus arduis nimio zelo ac pertinacia utuntur, ac de concepta semel sententia aut eoque iustum ipsis videtur, ne latum quidem unquam volunt discedere: atque ita sæpe rem ad extremam redigunt perniciem & desperationem. Zelus enim prudentia destitutus, boni nihil, sed potius mala omnia operatur. Imperent sibi ergo homines in magnarum rerum administratione versantes, & affectus suos ita refrænent, ut ne quod malum est pertinacia sua multo deterius reddant. Quod si tum Polus Cardinalis temporibus non obsecundasset, non modo nihil profecisset, verum etiam omnem rem & sperem vertisset. Omnia vero à Polo sum acta, deinde Pauli IV. Pontificis assensu & litteris stabilita fuerant & confirmata. Episcopi vero hac com-

b Fufius hæc Bzonius & alij referunt.

muni dispensatione ac confirmatione non contenti, singuli veniam prioris culpæ & confirmationem in suo quisque Episcopatu à Pontifice petierunt, uno Landaffensi excepto, qui solus postea sub Elisabetha in schisma relapsus est.

Circa id tempus Guilielmus Thomasonus, qui Eduardo VI. à secretis fuerat, ad furcas Tiburnas Londini laqueo strangulatus est, eò quod regis ac reginæ occidendorum, cum quibusdam alijs consilium cepisset. Hac coniuratione eò ipso die qui executioni destinatus erat, decedens, rex à regina ac publico aliquamdiu abstinerunt. Interea passim multi hæresicos damnati & combusti sunt, inter quos fuerunt Hopperus Episcopus Glocestrensis, Bradfordus, Sanderus, alij, nobili plerique loco nati.

VI. Ad VII. Februarij ampla & honorifica legatio ad Pontificem decreta per Episcopum Eusebium Montis acuti regulum & Eduardum Carnetum I. C. Reginæ & Philippi nomine obedientiam supra memoratam Sedi Romanæ & Pontifici præstitere. Ad Academijs autem, vehementer, ut ex Rescij & Andrea Philopatri scriptis facile colligi potest, corruptas, in antiquum splendorem & disciplinam restituendas, Polus præter ceteros misit Nicolaum Ormanetum, Patavinum postea Episcopum, qui Oxonij & Cantabrigiæ Collegia omnia ad normam prisca gubernationis reduxit. Nulla vero re & reges & Cardinalis de Academijs melius sunt meriti, quam quod Petrum à Soto, Dominicani Ordinis, Carolo V. olim à Confessionibus, Professore Theologiæ constituerunt, ut à Petro Martyre omnia paulo antea diruta reedificaret: quod & ille brevissimo tempore perfecit. Ita ergo Academijs & Republica ab hæresicos facibus, quantum fieri potuit, purgatis, restituantur ac ornantur passim templa, eriguntur & consecrantur altaria, collegia nova amplissimis cum dotibus fundantur, cœnobiatez edificantur, tota denique Ecclesia mirum in modum restituit. Ad sanctum sacrificium & alia sacramenta plebs alacri studio concurrat: in primis vero ad sacramentum Confirmationis, quod in illa gente supra quam in ulla alia natione frequentatur & colitur, tam frequens turba confluebat, ut Episcopi pæne opprimerentur. Certe constat Cestrensem Episcopum, quum nec irruentium vim ferre, nec omnibus satisfacere posset, vix & non nisi magna Magistratus civilis superveniens diligentia, à plebis concussione liberatum fuis-

se. Mense Martio iterum coniuratio in regis, reginæ & omnium Hispanorum caput, in lucem protrahata & punita est. Regina vero Hiberni cuiusdam Medici curæ valetudinem suam commisit, & pharmaco usa, nullum deinde amplius ferus, quem purabat, motum sensit. Multæ etiam Cruces & Sanctorum imagines, ignotis auctoribus, Londini deiectæ & contractæ sunt, adeo inquieta sunt regina quæ semel locustas illas apocalypticas de puteo abyssi emissas admiserunt, coronas in capitibus suis gestantes, magistratus turbantes.

PHILIPPVS EX ANGLIA DISCEDIT. Maria regina moritur. Catholica religio proferibitur. Elisabetha regina proclamatur: & pto Capite Ecclesiæ se fert.

## CAPIT. X.

## ARGUMENTUM.

- I. Insans in cunis loquitur, quod sequentium malorum fuit præsagium.
- II. Philippus ex Anglia in Hispaniam navigat, nunquam eo postea reuerurus.
- III. Maria regina moritur: cui Elisabetha, si regno potiretur, multa præclare promittit.
- IV. Sed Londini recepta ac regina proclamata, religionem mutat: & cur. Quælibet eius regni fuerint initia.
- V. Episcopi publico in conventu Regina primatui contradicunt: sed illa varijs prætextibus vitatur.
- VI. Schisma Anglicana Ecclesia ab ipsis regibus profectum.

I. **C**apiti huic tam Mariæ reginæ excessus, quam totius Anglicani felicitatis exitus initium dabit, Elisabetha ad regnum admota, quæ hæresin statim iniecit. Præter cruces vero & imagines sanctorum deiectas, quæ non levia futurorum erant auguria, Londini & alibi multi tam in Deum & religionem quam regem & reginam contumeliosi libelli in vulgus sparsi sunt, quorum tamen auctores nullo modo peruestigari potuerunt. Et hæc quidem ab hominibus tum dicta & facta sunt: ut Deus ipse quo-